



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Grauitatem peccati venialis ostendit Deus in punito grauissimè ob illud,
Ezechia Rege Sancto, & toto regno eius. C. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

Sanctos Dei qui habebant lucidiōres oculos, omnes calamitates mundi, suis attribuisse peccatis. Ita de se sentiebat S. Catharina Senensis, & S. Dominicus, personæ innocentissimæ, qui cum intraret de nouo aliquod oppidum, vel ciuitatem, vel pagum, dicebat intra se: *Intrare flagellum Dei, iudicans, ob sua peccata, calamitates illius oppidi vel ciuitatis vel pagi à suis prouenturas & prouenire peccatis.* Sed audiamus quomodo de se scriptum reliquerit S. Catharina Senensis c. 2. Dial.

Manè inquit, Missam audiens cum ingenii desiderio & agnitione sue fragilitatis ac imperfectionis erubescendo multum, quia sibi videbatur esse causa principalis omnium malorum, que fiebant in mundo, unde concipiebat in se quoddam odium cum displicentiâ magnâ sui, & quadam iustitiâ sanctâ, ex quibus purificabat omnes maculas que sibi videbantur. & erant in animâ suâ, & ait: Clementissimè Pater æternè, coram te facio querimoniam de me, vt in isto finito tempore punias omnia peccata mea. Et quia pœnarum quas proximus meus tolerare debet, ego propter delicta mea sum causa potissima, ideo Maiestatem tuam exoro suppliciter, vt super me infligas eas. Similia de se dixit dial. c. 13. & c. 19. O anima mea misella, totam vitam tuam cum tempore tibi gratiosè concessio multum inutiliter expendisti, imò potius perdidisti. Et ideo tot & tanta damna & innumerabilia mala non solum in Ecclesiâ sanctâ, verum etiam per vniuersum orbem occurrunt communiter, ac etiam in particulari. Idem repetit c. 134. & in orat. 21. bis id coram Deo dixit de se.

Hinc ergo agnoscamus, quanta sit malitia peccati venialis deliberati, & quantopere illud sit nobis fugiendum, qui nec Dauidi nec S. Dominico nec S. Catharinæ pares sumus, & cum quanto maiore causâ, nostris peccatis debeamus adscribere omnes calamitates huius vitæ, & huius temporis in quo tot bellis mundus, & per bella, damnatione tot hominū infernus impletur. Aded, vt meritò dixerit Tuscūli in quadam concione me audiente vobis P. Stephanus Tuccius vir sanctissimus, homines ob venialia peccata damnari, quia illa sunt, quæ homines adducunt ad peccata mortalia, & ad finalem impenitentiam. Verum enim est, quod scripsit S. Basilus ora. 7. ex collecta: *Vt ad virtutem progressa à rebus minimis augmentum sumit; ita etiam prauitatis scaturigo ab his que initio imbecilla atque exilia erant, ad rem que sanari ac restitui amplius non potest fertur.* Sunt enim vt supra dixi ex Origenè, peccata venialia tanquam vulnera. Vulnera autem multa, præsertim si quauis die infligantur, mortem adferunt.

Idem sentiens S. Chrysostomus in c. 1. Galat. & ser. de anima, sic eorum progressum pessimū describit: *Quemadmodum in corporibus, que vulnera neglexerunt, febres gignunt & putrefactiones ac mortem denique: itidem & in animis, qui pusilla dissimulant, maiora inuitant, hoc est, vt addit eadem vsus*

Lancicij Opusc. Tom. 2.

similitudine S. Ioannes Damascenus c. 19. Vitæ SS. Iosaphat & Barlaam: *Mortem sibi per neglecta vulnera accerunt: ad eandem modum, qui minima vitia & peccata nihili pendunt, grauiora sibi inuehunt.* Quod quidem magis mirum & deplorandum est, quod nemo nisi desperans & amens se voluntariè vulnerat, cum tamen multi deliberatè venialiter peccent.

Ne ergo & nos ad lethalia delabamur peccata, fugiamus venialia deliberata toto conatu, Nam vt dicit S. Dorotheus ser. 6. *Si, (vt præclarè aiebant) antiqui Patres, que exigua sunt & nullius momenti, (iudicio mundi) non contempserimus, ad ea que maiora sunt & grauiora peccata prolabi non poterimus.*

CAPVT NONVM.

Gravitatem peccati venialis Deus ostendit, in punito grauissimè ob illud, Ezechia Rege sancto, & toto Regno illius.

Promiseram me aliquot exemplis è S. Scripturâ petitis ostensurum, quantopere vnum solum peccatum veniale etiam à sancto viro commissum offendat Deum, & sit causa grauissimarum calamitatum. Id ostendi iam in peccato Dauidis, nunc ostendam in alio simili, commissio ab Ezechia Rege. De quo sic scribitur 4 Reg. 20 & 2. Paral. 32. *In tempore illo, misit Beroach Baladan filius Baladan, Rex Babyloniorum litteras & munerâ ad Ezechiam: audierat enim quod agrotasset Ezechias. Latatus est autem in aduentu eorum Ezechias, & ostendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque & domum vasorum suorum, & omnia que habere poterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo suâ, & in omni potestate suâ. Quæ autem monstrauerit eis, scribitur 2. Paral. 22. à versu 27. Fuit Ezechias diues & inclitus valde, & thesauros sibi plurimos congregauit argenti & auri & lapidis pretiosi, aromatum & armorum vniuersi generis, & vasorum magni pretij. Apothecas quoque frumenti, vini & olei, & præsepia omnium iumentorum, caulasque pecorum, & vrbes adificauit sibi: habebat quippe greges ouium & armentorum innumerabiles, eò quod dedisset ei Dominus substantiam multam nimiam. Quid autem effecerit hæc ostensio thesaurorum Ezechia, indicat Sacer textus 4. Reg. 20. Venit autem Isaias Propheta ad Regem Ezechiam dixitque ei: Quid dixerunt viri isti: aut unde venerunt ad te: Cui ait Ezechias. De terrâ longinquâ venerunt ad me de Babylone. At ille respondit: Quid viderunt in domo tuâ? Aut Ezechias: omnia quacunque sunt in domo meâ, viderunt, nihil est, quod non monstrauerim eis in thesauris meis. Dixit itaque Isaias Ezechia: Audi sermonem Domini. Ecce dies venient, & auferentur omnia, que sunt in domo tuâ & que considerunt patres tui vsque in diem hanc in Babylonem: non remanebit*

P p que-

quicquam, ait Dominus. Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur & erunt eunuchi in Palatio Regis Babylonis. Postea executio huius pœnæ prædictæ, sic describitur 4. Reg. 24. à vers. 13. Et protulit Rex Babylonis ex Ierusalem omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus regia, & concidit vniuersa vasa aurea, quæ fecerat Salomon Rex Israël in templo Domini iuxta verbum Domini. Et transfudit omnem Ierusalem, & vniuersos Principes, & omnes fortes exercitus, decem milia in captiuitatem, & omnem artificem & clusorem, nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ transfudit quoque Ioababim (Regem) in Babylonem, & matrem Regis, & uxores Regis, & eunuchos eius, & iudices terræ duxit in captiuitatem de Ierusalem in Babylonem. Et omnes viros robustos septem millia, & artifices & clusores mille, omnes viros fortes & bellatores duxitque eos Rex Babylonis captiuos in Babylonem.

Circa hoc factum examinemus tria. Primò, peccatum Ezechie quale fuerit. Secundò, conditionem personæ Ezechie. Tertio, pœnam à Deo inflictam ob hoc Ezechie peccatum.

163.

Quoad primum, certum esse debet, peccatum hoc eius non fuisse mortale, sed vt bene ait Sallianus A.M. 332.4. num. 32. vnum ex minoribus bonorum peccatis. Et n. 33. Vanitas hac Regis ex genere suo non magna culpa est. Fuisse autem vanitatem patet ex Diuino testimonio: quia 2. Paral. 32. 25. sic describitur hoc eius peccatum: Non iuxta beneficia quæ acceperat, retribuit, quia eleuatum est cor eius, & facta est contra eum ira & contra Iudam & Ierusalem. Humiliatusque est populus, ed quod exaltatum fuisset cor eius. Ex quibus verbis colligitur, propter solam elationem animi quam habuit in ostensione thesaurorum suorum, à Deo, populum eius post eius mortem fuisse punitum: nõ punitum autem eo viuente ob ipsius respectum, dicit Sacer textus 2. Paral. 32. 26. Humiliatusque est postea (scilicet coram Deo, agnoscens suum peccatum & deprecans culpam) ed quod exaltatum fuisset cor eius: &c. & idcirco non venit super eos ira Domini, in diebus Ezechie.

Quocirca etiam alia quoque peccata commiserit Ezechias, non ob illa, sed ob solam elationem punitus fuit. Hanc autem non fuisse in eo peccatum mortale, hinc apparet.

Primò, quia obiectum non erat intrinsecè & grauiter malum.

Secundò, quia nil inuisitatum fecit: omnes enim Reges & Principes boni & Deo cari, dum volunt honorare legatos, solent humanitatis causa (humanitas autem virtus est) ostendere eis ædificia & thesauros.

Tertio, erat etiam necessitas id faciendi, vt vis eius thesauris aduenæ, agnoscerent eius potentiam, & apparatus pro bello gerendo, imo neruum belli pecuniam, eaque visa, non audent contra eum arma sumere, vt alij sumerent. In thesauro enim illo, erat thesaurus Davidis & Salomonis (vti indicat superius Isaias vers. 17.

Quæ considerari patris tui, vsque in diem hanc) quorum solum thesaurorum magnitudinem fuisse penè incredibilem infra videbimus, non cõputando thesauros, quos eius in Regno Antecessores duodecim, (successores Dauidis & Salomonis congregauerant per annos 255. tot enim intercesserunt à morte Salomonis ad initium Regni Ezechie.

Quarò, circa hoc factum Ezechie ponderandum est, esto peccatit ostendendo illos thesauros, nam procul dubio peccauit, (siquidem ob hanc ostensionem punitus est, iacturâ horum thesaurorum, & aliarum rerum, vt supra ex sacro textu agnouimus,) tamen semel tantum in hoc peccauit, & peccatum eius in hac re fuit minus, quàm sit detractio, & non tantopere graue in illo, vti esset mendacium: quod apud me est certissimum. Quatuor ob causas.

Prima est, quia magis Ezechias laudatur quàm Dauid, & vsque adeò, vt non potuerit ferè magis laudari à Deo, 4. Reg. 18. 3. & seq. Fecit quod erat bonum coram Domino iuxta omnia quæ fecerat Dauid Pater eius &c. In Domino Deo Israël sperauit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Iuda, sed neque in his qui ante eum fuerunt: & adhaesit Domino & non recessit à vestigiis eius, fecitque mandata eius quæ præceperat Deus Moysi. Vnde & erat Dominus cum eo, & in cunctis ad quæ procedebat sapienter se agebat. Vbi hoc notandum est hanc laudem ei esse à Spiritu S. attributam pro totâ vitâ eius antea acta, nam eam ponit post narratos omnes eius vitæ Regni annos, & gesta.

Ex quo loco, duo argumenta colligo ad ostendendum eum nunquam peccasse mortaliter. Primum est, in illis verbis vers. 5. Non fuit illi similis in his Regibus, qui ante ipsum fuerunt. Ideo ali-quà re etiam Dauidem superauit, scilicet, quia non contaminauit se villo peccato mortali, vt Dauid, qui tamen alius in rebus similis erat Ezechie. Secundum est, vers. 6. in his verbis: Non recessit à vestigiis eius (scilicet Dei) fecitque mandata eius quæ præceperat Dominus Moysi: quibus verbis similiter supra 3. Reg. 15. 5. Deus commendauerat Dauidem propter seruata in omnibus Dei mandata, quæ quoniam violauerat dyobus generibus peccatorum, ideo ibi addidit Spiritus S. Excepto sermone Vriæ: quæ verba cum hic laudibus Ezechie non apposuerit, evidens signum est, eum nullo peccato mortali, Dei præcepta violasse. Peccatis enim venialibus, sicut Dei charitas non excludit, ita nec præcepta Dei essentialiter violantur, sed quasi accidentaliter, quia perfectus modus ea exequendi violatur. Et hanc ob causam duo dicit S. Thomas de peccatis venialibus, inter alia, quæ ad meum propositum spectant. Primò, quod peccata venialia sunt impedimenta perfectionis. Secundò, quia non sunt contra præcepta sed præcepta, ita docet S. Bonauentura in 2. d. 42. a. 1. q. 1. Alexan. 2. p. q. 106. m. 1. Caietanus & S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 2. ad 1.

& 2.2. q. 10. a. 1. ad 1. & causam hanc loco prius citato adfert, quia peccatum veniale dicitur peccatum secundum rationem imperfectam & in ordine ad peccatum mortale, sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam, secundum imperfectam rationem entis non enim est contra legem. Quia venialiter peccans, non facit quod lex prohibet, nec pratermittit id, ad quod lex per preceptum obligat, sed facit prater legem, quia non obseruat modum rationis quem lex intendit.

Et probatur a nostro Becano loco, infra citando. Primò, ex illo Matth. 19. 17. Si vis ad vitam ingredi serua mandata: qui autem peccat venialiter ingreditur ad vitam, ergo seruat mandata: ergo non facit contra mandatum. Secundo, ex illo Ioã. 14. 23. Qui diligit me sermonem meum seruat: at qui tantum venialiter peccant iusti, Deum diligunt, ergo sermonem Christi seruant, ergo seruant præcepta Dei, ergo contra ea non peccant, venialiter peccando. Tertiò, si iustus diligit proximum, & tantum venialiter peccet, legem (vt ait Apostolus, Rom. 13. 8.) impleuit: ergo non peccat contra legem. Quarto, finis legis est charitas 1. Tim. 1. 5. At nullum peccatum veniale est contra charitatem, quia vt ait S. Th. 1. 2. q. 88. a. 1. ad 2. peccatū veniale non excludit charitatem nec minuit.

Quæres quid hoc est, charitatem finem legis esse?

Respondet, Becanus l. 2. tr. 2. c. 2. q. 7. Nil aliud est, quam quòd omnia præcepta legis eo spectent, vt diligamus Deum ex toto corde & proximum nostrum sicut nos ipsos, vt Christus explicat Matth. 22. 40. & Apostolus Roman. 13. 8. Hoc autem potest fieri, etiam si peccemus venialiter.

Quæ tamen doctrina S. Thomæ reuocatur à Durando in 2. d. 34. q. 6. Vega in Conc. Trid. lib. 14. c. 13. & ab aliis authoribus, quos sequitur & citat Sanchez to. 1. sum. l. 1. c. 1. n. 2. & 3. & Vasqu. disp. 143. c. 3. Sed Bellarminus l. 4. de iustif. c. 14. §. 4. obiectionem, soluens obiectionem hæreticorum petitam ex lac. 2. In multis offendimus omnes; & 1. lo. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus: quibus illi probant à nobis Legem Dei impleri non posse, quia qui legem implet, nullum omnino peccatum haberet.

Respondet sic. Ab hoc argumento, quod valde Kemnitius vrget, non tam facile se expediunt, qui concedunt peccatum veniale esse propriè contra Legem, vt Vega l. 1. in Conc. c. 20. Coguntur enim dicere, legem non esse impossibilem, non quod tota simul seruari possit, sed quod seruari possit maior eius pars, & à meliori parte fiat denominatio. Sed videndum est illis quid respondent. Apostolo Iacobo disenti: Quicumque totam legem seruaerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Solidà ergo responsio est peccata venialia non esse contra Legem sed prater Legem, vt S. Thomas rectè docet 1. 2. q. 88. a. 1. hinc enim omnia coherent. Nam qui offendit in vno, præuaricans videlicet vnum præceptum, factus est omnium reus, & iniustus simpliciter constituitur, & tamen in multis offendimus omnes.

Lancicij Opusc. Tom. 2.

quia tamen si nihil facimus contra Legem, tamen multa facimus prater Legem. Et qui natus est ex Deo, non peccat, transgrediendo Legem, & tamen si dixerimus quia peccatum non habemus, nihil videlicet prater Legem faciendo, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Et l. 1. de amiss. grat. c. 11. §. Quod totum, probat benè peccatum veniale non esse contra Legem, quia aliqui dicuntur seruasse omnia mandata, & tamen peccabant venialiter, ergo iis mandata non violantur.

Secunda causa, ostendens, eum non peccasse mortaliter in hac thesaurorum offensione, est. Quia opera que fecit pro cultu Dei ab ipso Deo laudata, hoc ipsum indicant. Nam eodem loco 4. Reg. 14. vers. 4. Spiritus S. hæc de eo dicit. Ipse dissipauit excelsa, & contriuit statuas & succendit lucos, confregit que serpentem æneum, quem fecerat Moyses, siquidem vsque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum. Quæ in re ponderanda sunt hæc.

Primò, quia prater alia supra commemorata, confregit serpentem æneum. Quod facinus inquit Sathanus A. M. 3309. n. 31. videri poterat periculosum negocium. Ignarum enim ac rudem populum existimaturum Ezechiam tam Domino ipsi quam Diis gentium bellum indixisse, qui rem Dei ipsius iussu à SS. Legislatore fabricatam, & tot annis, (scilicet 726. tot sunt enim ab anno 2583. quando serpens fabricatus est, ad 3309. quando confractus est) à Sanctissimis viris, Pontificibus, Regibus, populique Principibus conseruatam, vt diuina erga populum suum misericordia, ac benevolentia argumentum, ipse temerè ac irreligiosè confregisset. Quod non potuit sine magno animi robore suscipere, nec sine magnâ in Deum fiducia, eiusque singulari auxilio conficere, in quibus maximam Regni partem sibi habuit tanquam pro aris & focis assistentem, neque timuit ne subiret ad Assyriorum Regem descenderet, eumque regno priuarent, sed vt ait Scriptura, in Domino Deo suo sperauit.

Secundò, quia id fecit primo anno sui regni, quando erat ei necessarius fauor omnium. Ita respectus humanos vicit.

Tertiò, sui Patris moribus contraria fecit.

Tertia causa, quia (teste Spiritu S.) Ezechias tunc cum maximè poterat condemnari peccati mortalis nullum commisit mortale peccatum.

Tempus autem hoc fuit, tunc primo dum præmissa consultatione cum Principibus & vniuerso cætu Israël, author fuit, vt celebrarent Pascha Mense secundo, (quod S. Hieronymus in 2. Paral. 30. refert inter traditiones hebraicas) eum ex præscripto Dei, non nisi Mense primo celebrari debuerit Leuit. 23. 5. Exo. 12. 2. Num. 28. 16. Quamuis enim Deus permiserit Num. 9. 10. vt posset aliquando celebrari Pascha mense secundo, tamen cause seu occasiones celebrandi illud mense secundo ex concessione Dei, imò dispensatione Dei, fuerunt prorsus diuersæ, ab iis, ob quas Ezechias & quidem primo anno

Regni sui curauit Pascha celebrari mense secundo.

Nam Num. 9. 10. tunc tantum celebrari potest Pascha secundo mense permisit Deus; *Si quis fuerit immundus super animam, sive in via procul in gente vestra.* Hoc est, si quis primo mense non potuerit Pascha celebrare ob funeris immunditiam legalem, à qua se liberare non potuit ante 14. diem Mensis primi, quando Pascha Hierosolymis tantum celebrandum erat. (Deut. 16. 2.) seu ut ait S. Augustinus 9. 18. in Nu. ob mortui, id est, contactu cadaveris, ob quem immunditia durabat 7. diebus. Leuit. 19. 11. vel si quis ex gente hebraea extra terram promissam profectus, ob iter remotum à Iudaea & Ierusalem non potuisset peruenire ad Ierusalem pro die destinato, poterat mense secundo illud celebrare 14. die Alioquin ut infra additur vers. 13. *Si quis autem & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phasce, exterminabitur anima illa de populo suo, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo, peccatum autem suum* (id est, penam, peccati sui per metonymiam) *ipse portabit.* Ezechias autem ob causas prolixius diuersas, quae quid dicant contra sentientes haereticos, ideo secundo Mense illud celebravit, ut bene obseruauit Bonfrerius scribens in c. 9. Num. 10. & ante illum Serrarius q. 28. in c. 5. Iosue Primò, quod deessent numero sufficientes Sacerdotes consecrati, eo quod regnante impio Achaz Ezechiae Patre, inducta fuisset idololatria, & sacrificia ministeriumque in templo sacrum cessasset. Secundo, quod residuus populus, necdum ab Assyriacà clade fuisset Ierosolymam euocatus, nec verò tam citò congregari posset. Nam primo anno Ezechiae, primum cepit templum expurgari à fordibus, idque primo die primi mensis, quo celebrandum erat Pascha, & durauit expurgatio ad 16. diem Mensis, quando iam tempus Paschae transierat, scilicet 14. dies mensis primi Ex. 12. 6. Tertia etiam ratio colligitur à capite istius praecedenti, quod templum à fordibus & immunditiis non potuisset perfectè emundari ante diem 16. Mensis primi. Haec bene Bonfrerius. Cuius prima ratio valida est. Nam ut dicitur 2. Paral. 29. 34. *Sacerdotes pauci erant, nec poterant sufficere, ut pelles holocaustorum detraherent, vnde & Leuite fratres eorum adiuerunt eos* (est contra legem Leuit. 16. id solis Sacerdotibus committentem) *dones impleteretur opus, & sanctificarentur.* Anzilites (id est Sacerdotes, ut habetur in textu hebraeo & apud 79. interpretes.) Tertia quoque ratio valida est, quia ut dicitur 2. Paral. 29. 17. *templum à fordibus & immunditiis expurgatio inchoata est, prima die mensis primi, finita vero die 16. Mensis eiusdem, ut habetur vers. eodem.* Pascha autem 14. die mensis primi celebrandum erat, ut superius ex Scriptura ostendi.

Tamen non peccasse in hoc Ezechiam mortaliter, certum est, dum ob laudem eius superius positam, tum quia praecipuum eius de cele-

brando Paschate mense secundo appellatur. *Verbum Domini, hoc est, Iehoua. 2. Paral. 30. 12.*

Secundò, ex alio capite poterat videri peccasse Ezechias mortaliter, quia ut ibidem dicitur vers. 23. celebravit illud Pascha per 14. dies, addendo alios 7. dies. Exo. 12. 15. Leu. 23. 6. 7. & veterit omnem additionem ad sua praecipua & leges Deut. 4. 2. & c. 12. vlt. Tamen nec per additionem aliorum 7. dierum eum peccasse, ut nec populum obedientem, certum est, tum ob eandem causas, quas adduxi ad defendendam celebrationem Paschae Mense secundo, tum quia post celebrationem Paschae per 14. dies statim dicit Scriptura vers. vult. capitis illius 30. *Exaudivit vox eorum, peruenitque oratio in habitaculum sanctum Dei.* Hoc autem signum est, placuisse Deo illam festiuitatem, & in ea preces ad Deum factas, proinde sine peccato Ezechiae transacta est, talis festiuitas eius autoritate inchoata, & consensu aboluta.

Quod confirmatur duobus modis Primò, quia cap. sequenti vers. 1. dicitur, *haec fuisse celebrata.* Secundò, quia ob haec celebrata, statim laudatus est Ezechias, à Spiritu S. his verbis c. 31. 20. 21. *Fecit ergo Ezechias vniuersa quae diximus in omni Iuda: operatusque est bonum & rectum, & verum coram Domino Deo suo, in vniuersa cultura ministerij Domini, iuxta legem & ceremonias, volens requirere Deum suum, in toto corde suo, fecitque & prosperatus est.* singula verba vim habent magnam pro defensione Ezechiae, tanquam qui ne venialiter quidem in his deliquerit.

Quocirca S. Ezechias non peccauit mortaliter, imò nullo modo in rebus, factis bono animo, etsi contra verba clara Diuinae legis, faciendi & ordinando res maioris momenti, & sibi non aequè necessarias nec aequè convenientes, quam fuerit offensio fororum thesaurorum, multò minus peccauit mortaliter eos ostendendo Legatis ad se missis.

Dices cum Rabbi Salomon apud Lyrantum, eum peccasse mortaliter quia, ostendit Ethnicis seu gentibus (ex quibus erant illi Legati) thesauros templi, & sacra vasa templi, eosque in templum induxit: Quod erat seuerissimè vetitum à Deo.

Respondeo, cum Barradio to. x. l. 5. c. 14. haec non esse verisimilia. *Quis enim credat ethnicos, inquit Sallianus idem sentiens A. M. 3324. n. 31. à pio Ezechia in templi penetralia admissos? Aut tabulas quae in arca faderis, in sancto Sanctorum occultabantur inde acceptas fuisse, eisque ostensas, cum eo ne Regi quidem, imò neque Leuitis neque Sacerdotibus, denique omnino nemini, praeterquam Summo Pontifici semel in anno cum multis ceremonijs liceret introire: Admitteret incuriosos in oraculum, quos neque in templum, neque in eius vestibulum, neque in atrium Leuitarum, postremò neque in atrium Israelitarum sine capitali crimine, introducere liceret, sed tantum in atrium gentium.* Vnde & capitis agebatur reus D. Paulus ab Hebraeis, quod diceretur gentiles in templum, id est, in atrium

atrium Iſraëitarum induxiſſe. Et quis dubitet, ſi ve-
rum eſſet, quod Rabini iſti fingunt, vt ſemper noui ali-
quid dicant, id nominatim Eſaiam, & quidem acerbe
reprehenturum fuiſſe? Vt ſatis intelligi poteſt ex iis,
quæ deplorat Ieremias in Threnis c. 1. 10. Quia vidit
gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum, de quibus præcepe-
ras, vt non introirent in Eccleſiam tuam. Sola ergo,
elatio animi fuit in Ezechia cauſa pœnarum in-
fra explicandarum.

172. Quarta cauſa, ob quam non fuit peccatum
mortale hoc factum Ezechie in offenſione the-
ſaurorum, quia etat in materiâ ſuperbiolæ eu-
iuſdam. Nam vt dicitur 2. Paral. 32. 25. 31. Humi-
liatus eſt poſtea, eo quod exaltatum fuiſſet cor eius. quæ
ſuperbiola in eo, ſpectatis omnibus circumſtân-
tiis, non poterat eſſe peccatum mortale. Nam
vt ait S. Thomas 2. 2. q. 132. a. 3. amor humane glo-
rie quamuis ſit inanis, ſi non repugnet charitati, neque
quantum ad id de quo eſt gloria, neque quantum ad
intentionem gloriam querentis, quod non dirigit ad
gloriam vt ad vltimum finem, non eſt peccatum mor-
tale ſed veniale. Idem docent omnes Summiſtæ
v. gloria inanis, cum Toletol. 1. 8. c. 6. 7. Idem ap-
paret ex doctrinâ S. Thomæ tradita de ſuperbiâ
2. 2. q. 162. a. 5. & de iactantiâ, ibidem q. 112. a. 2.
& de ingratitude q. 107. a. 3. ad quæ tantum
peccata poteſt reduci hoc Ezechie.

173. Non fuiſſe autem in eo talem inanem glo-
riam, patet ex laudibus à Spiritu S. ei attributis
ſupra commemoratis, & ex incredibili zelo
quo Dei gloriam promouit, cum magno peri-
culo ſuo. Vix enim factus Rex, zelo ſalutis ani-
marum accenſus, per vtrumque Regnum cur-
ſores dimiſit, precibus ſolicitauit, monitis in-
ſtruxit, vt omnes ad Dei ſui cultum & venerationem
adduceret. Statim Templum expurga-
uit à ſordibus, Dei cultum reſtaurauit, & cum
regnum vniuerſum nutaret, Aſſyriis vbique
impune voltantibus, inquit Salianus A. M. 3337.
n. 6. 7. 8. ad omnia immobilia, blaſphemias in
Deum voces ferre non potuit, & apud Deum
ſiliali fiducia conqueſtus eſt. Inuaſerat in Re-
gnum Aſſyriorum Rex cum ducentis millibus
armatorum, atque in eius viſceribus graſſaba-
tur, totam latè regionem populabatur, omnes
penè Ciuitates munitas in poteſtatem redege-
rat: iſdem armis ac viribus Hieroſolymis im-
minebat, quibus meminerant omnes Regnum
Iſraëlis ante aliquot annos concidiſſe: nullum
tamen verbum de deditioe factum: quod ocu-
li eius manſque in cælum erectæ, liberatione
ab hoſte barbaro perfido, blaſphemo diuinitus
expectarent. Hanc enim ob cauſam Ezechias
acceptis literis de manu Nanciorum qui minas
Senacherib Regis Aſſyriorum ei nuntiabant, &
excidionem intentantes, lectas literas intulit in
Domum Domini, & expandit eas coram Domino, 4.
Reg. 18. 14. & orauit. Quâ oratione, S. Chryſoſto-
mus l. 2. de orando Deum in fine, ait Ezechiam
hoſtes viſiſſe, non armis. Deinde illa Regis humili-

Lancij Opus. Tom. 2.

tas erga Deum, & propriæ apud ipſum depofi-
tio voluntatis in tantâ re, quantum illa poſtre-
ma Iſaia comminatio continebat, omnem ſu-
perat admirationem. Latatus erat in Legato-
rum longinquæ regionis aduentu, gratulatus
etât ſibi amicitiam ſuam ab exteris Regibus
expeti, & Dei eximiam erga ſe beneuolentiam
prodigijs declaratam agnoſci. Oſtendarat opes
ſuas & hoſtibus erepra ſpolia. Quod vulgò
Principes non in crimine ſed in laude ponunt.
Et tamen audit; Ecce dies veniunt, & auferentur
omnia quæ ſunt in domo tuâ, & quæ condiderunt
Patres tui vſque in diem hanc in Babylonem, non
remanebit quidquam ait Dominus; ſed & de filiis
tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur &
erunt eunuchi in Palatio Regis Babylonis &c. Audi-
uit hæc ſine murmure, ſine exultatione, ſine
querelâ:

Certè nullus prudens hominem his exorna-
tum virtutibus, & aded laudatum à Deo con-
demnare poteſt, quod ſinem vltimum poſuerit
in illis theſauris offenſis, vel in gloria cupidita-
te, ex oſtenſione eorum quaſitæ. Fixum ſic er-
gò eum tantum venialiter peccaſſe, vel vt ait
Serrarius in 4. Reg. & 2. Paral. aliquantum in-
gratitudine & ſuperbiâ.

Quoad ſecundam, videamus nunc conditio-
nem ſeu qualitates perſonæ Ezechie, qui Deû
offendit. 174.

Primo fuit talis, qualem vt ſuprà vidimus de-
ſcripſit Spiritus S. 4. Reg. 18. 3. 4. 5. 6. 7. & 2. Pa-
ral. 31. 20. 21.

Secundò, tam benè erat ſibi conſcius, vt auſus
fuerit dicere Deo, 4. Reg. 20. 3. Obſecro Domine
memento quoſo, quomodo ambulauerim coram te in
veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt, co-
ram te fecerim. Quod eum verè dixiſſe certum
eſt, tum quia eius dicta ſunt conformia dictis
de eo à Spiritu S. 3. Reg. 15. 5. tum quia his dictis
ſuis, ſincere coram Deo prolatis, ſtatim mira-
culofam ſui ſanationem impetrauit, paulò poſt
explicandam: tum quia Iſaiaſ Propheta in ſuas
inferi Prophetias voluit hæc ipſiſſima eius di-
cta, pro inſtructione totius Eccleſiæ Dei, quod
non feciſſet, ſi vera ab eo non fuiſſent dicta, ne
coinquinaret librum prophetiarum diuinarû,
faſſâ eius iactantiâ.

Tertiò, ex patientiâ magnâ & humilitate, quâ
Ezechias oſtendit audita prædictione Iſaia,
colligitur magna illius ſanctitas. Alter enim ali-
quis non aequè ſanctus dixiſſet. Quid fecit inquit Sa-
lianus n. 8. A. M. 3337. quod eſt peccatum meum, vt tam
ſeuera animaduerſione puniatur? Nam oſtentatio bo-
norum meorum, impiorum rapina & latrocinis vin-
dicanda eſt. Quis mercatorem, merces ſuas populis ina-
niter commonſtrantem prædonibus propterea addicen-
dum putat. Sed eſto, ſuperbia mea & ingratus in Deû
animus, qui me tot prodigijs in altum exaltit, deie-
ctionem iſtam meretur, quid meruere filij mei, damna-
ti antequam nati, ſeruituti addicti nondum deguſtata

Pp 3 liber.

libertate: Nihil horum ille, sed humillimo & patientissimo animo, ac plenè rarè etiam in religiosis resignatione, obedientià, ac cum Diuinà voluntate conformitate, dixit ad Isaiam: 4. Reg. 20. 19. Bonus sermo Domini quoniam locutus es: sit pax & veritas in diebus meis.

176. *Quarid*, in tantà fuit apud Deum gratià, vt cum esset innumerabili exercitu Assyriorum tremefactus, & expansis coram Deo literis, hostis minarum plenis, Dei auxilium implorasset, impetràrit illud statim, & hac de re per Isaiam Prophetam diuinitus missum, certior factus fuerit, & obtinuerit, vt per Angelum à Deo missum, vnà nocte in castris Assyriorum occisa sint ex hostibus eius, centum octoginta quinque millia 4. Reg. 19. 14. 20. 35.

177. *Quind*, tanti fecit eum Deus, vt cum ei prædixisset mortem, statim secururam, idque per Isaiam Prophetam, precibus & lachrymis eius pauculis motus, suum decretum iam ei promulgatū, statim reuocauit. 4. Reg. 20. Et si Deus de se dixerit: Ego Deus & non mutor. Quod quomodo fiat, pulchrè explicat S. Thomas 2. 2. q. 171. a. 6. ad 2. Diuina, inquit, præscientia respicit futura secundum duos scilicet, secundum quod sunt in se ipsis, in quantum scilicet ipsa præsentia intuetur: & secundum quod sunt in suis causis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus. Et quamuis contingentia futura, prout sunt in se ipsis, sint determinata ad vnum, tamen prout sunt in suis causis non sunt ita determinata, quin possint aliter euenire. Et quamuis ista duplex cognitio semper in intellectu Diuino coniungatur, non tamen semper coniungitur in reuelatione prophetica: quia impressio agentis non semper adæquat eius virtutem. Vnde quandoque reuelatio prophetica est impressa quadam similitudo Diuina præscientia, prout respicit ipsa futura contingentia in se ipsis. Et talia sic eueniunt, sicut prophetantur secundum illud Isa. 7. Ecce Virgo concipiet: Quandoque verò reuelatio prophetica est impressa similitudo Diuina præscientia, prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus: & tunc quandoque aliter euenit quàm prophetatur: nec tamen propheta subest falsum. Nam sensus prophetia est, quod inferiorum causarum dispositio sine naturalis, siue humanorum actuum, hoc habet, vt talis effectus eueniat. Et secundum hoc intelligitur Verbum Isaiæ dicentis (4. Reg. 20. 1.) Morieris & nō viues: id est, dispositio corporis tui ad mortem ordinatur: Et quod dicitur Ione 2. Adhuc 40. dies & Ninive subuertetur, id est, hæc merita eius exigunt, vt subuertatur. Dicitur autem Deus penitere metaphorice, in quantum ad modum penitentiæ se habet, prout scilicet mutat sententiã, et si non mutet consiliũ.

178. *Sextid*, non contentus reuocatione sui decreti addidit adhuc 15. annos eius vitæ.

Septid, & hanc promissionem miraculo confirmauit Deus, faciens, vt non solà vmbra (vti putat Paulus Burgenfis: & Natablus in c. 33. Esaiæ, & Sa, & heretici Functius, Osiander & alij) sed verè sol retrocesserit in suã substantiã, non

in solis radiis, retro ad decem gradus. Primò, quia hoc verba S. Scripturæ clarè indicant Isai. 38. 8. Reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderrat. Ecclesiastici 48. 26. In diebus ipsis retrò rediit sol. Secundò, idem dicunt Patres S. Dionysius Areopagita ep. ad Polycarpum, Origenes h. 30. in Matth. Nazianzenus or. 19. Hieronymus in c. 7. & in c. 38. Isai. & in tradit. 2. Par. 32. Augustinus l. 1. de ciuit. cap. 8. Chrysostomus h. 27. in ep. ad hebr. col. 4. Theodoretus in Psal. 20. Procopius in c. 38. Isaiæ: S. Thomas Opusc. 63. c. 2. §. tertium principale nu. 27. Beda, Abulensis in c. 21. 4. Reg. Lyra, Dionysius, Hugo, Genebrardus, Baradius Sasbour, Sanctius, Serarius, Clavius l. de horol. c. 21. Castrius, Theryngus, in replicis quas ad glossas ordinarias adiecit, Sallianus A. M. 33. 2. n. 89. & seq. Tyrinus in Comm. 4. R. 20. Tertio, quia è Babylone submissi legati inquisierunt de hoc portento. Vnde patet non Ierosolym tantum in vnico Regis horologio, id spectaculum fuisse, sed hoc portentum vnuerfum orbem terrarum peruasisse. Ideò meritò S. Dionysius Areopagita in epist. ad Polycarpum ex mutatione cursus astrorum Apollonophanis infidelitate redarguit, qui eum non coleret, cuius nutu sol & luna immota consistat, & quo imperante, illius, quidam dies, continuatione ferè triplo longior effectus est, etiam viginti totis horis. Nam sola vmbra horologii Achaz, diem nō potuit facere longiorem. Moxque subdit ea re Babylonios iure ac meritò fuisse deterritos. Quomodo autem deterriti fuissent, si id priuatum & non publicè contigisset? Addit denique in eius rei confirmationem, Magos illarum regionum sacra perficere solitos memoriæ triplicis solis. Magnum ergo Diuini fauoris argumentum fuit erga Ezechiam, hic solis ad decem gradus regressus. Ideò meritò S. Gregorius Nazianzenus or. 19. ait: Regem hunc à Deo gratiã simul & signo honoratum fuisse, atque per dies augmentum, dierum quoque vitæ eius augmentum, esse confirmatum.

Octid, non quomodocumque hoc in eius gratiam Deus miraculum fecit, sed datà ei optione, eligendi, quale vellet, & eo illud antea postulante. Quà in re et si S. Hieronymus lib. 2. cont. Pelag. putet eum peccasse peccato patris facti, melius tamen Abulensis, & Lyranus, eum Dionysio & Salliano sentiunt, eum non peccasse signum concedendæ sibi à Deo vitæ longioris petendo, quia non ex incredulitate illud petiit, sed potius ad Dei gloriam, vt ea gemino signo illustraretur. Cum enim sciret Ezechias in hoc genere peccasse Achaz, specie non tentandi Deum, voluit ipse mederi huic culpæ, & gloriã Dei impetrando signum amplificare. Nam vt ait Author mirabilium S. Scripturæ (quem alij Augustinum esse putant) l. 2. c. 28. Dum Isaias, duas prophetias sibi inuicem contrarias, eadem horã protulisset, necesse erat, vt alteram que sciendã

effe, signi ostentatione firmaret. Velut ait Iosephus l. 8. cap. 23. Hac cum Propheta, ita, vt iussus erat, ad regem perferret, ob magnitudinem morbi & inopinatum nuncium, dubitans, prodigiosum aliquod signum ab Esaiâ postulat, vt certò possit credere missum illum ad se à Deo nuncium.

Ex quibus, inquit Salianus, intelligi potest, Ezechiam noluisse tentare Deum, experimentum capiendi de ipsius veritate, vel potentiâ, quam satis superque exploratam habebat, sed Prophetam potiùs tentare voluisse, qui tam breui tempore contraria prædixisset: an scilicet vtraque denuntiatio à Deo fuisset. Iustam autem dubitationis causam habebat, cum in lege datû esset signum falsi Prophetæ, si quod prædictum fuerat, non eueniret. Hoc habebis signum, inquit Moyses Deuti 8. 22. quod in nomine Domini Propheta prædixerit, & non euenierit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confusus, & idcirco non timebis eum. Consentit Abulentijs q. 20. in c. 20. lib. 4. Regum.

180. Nonò, alia quoque præclare gesta ab Ezechia, eius sanctitatem confirmant. Nam Primò Regni administrationem inchoauit à Diuino cultu. Nam vt dicitur 2. Par. 19. 3. Anno, & mense primo regni sui aperuit valuas Domus Domini, & insintrauit eas, adduxitq; Sacerdotes & Leuitas, & iussit vt sacrificati prius, mundarent domum Domini, & auferrent omnem immunditiam de Sanctuario. Statimque, vt dicitur infra v. 17. coeperunt prima die mensis primi mundare, & in die 16. mensis eiusdem, quod coeperant implerunt.

Secundò fœdus renouauit cum Deo 2. Par. 29. 10. Nunc, inquit, placet mihi vt uocemus, (id est, renouemus) fœdus cum Domino Deo Israël.

179. Terziò ad celebrandum Pascha inuitauit & uocauit populos, mense extraordinario, scilicet secundo, vt supra dixi. Quod eum fecisse ex peculiari Dei instinctu, & Sacerdotum approbatione, etiam hinc colligi potest, quia Deus peculiari suâ motione excitauit corda eorum qui erant à Rege inuitati ad celebrandum Pascha. Sic enim dicitur 2. Par. 30. 12. In Iuda uero, facta est manus Domini, vt daret eis cor uinum, ut facerent iuxta præceptum Regis & Principum, uerbum Domini.

Quartiò. Causa fuit hac euocatione ad celebrandum Pascha, vt populus ipse zelo Diuini honoris per exemplum pij Regis commotus, expurgaret Ciuitatem Ierusalem ab idololatriæ cultus reliquijs, ab Achaz impio patre Ezechie introducti. Achaz enim occulto templo Dei Ierosolymitano, ut magis Dei populum auerteret à Dei cultu, impeditum à se, ne in templo debitum Deo cultum præstaret, fecit altaria in uniuersis angulis Ierusalem, 2. Par. 28. 24. Ideò pijs populis postquam Pascha ab Ezechia indictum celebrassent, surgentes, destruxerunt altaria que erant in Ierusalem, atque uniuersa, in quibus idolu adolebatur incensam, subuerentes, proiecerunt in

torrentem Cedron. Eo modo quo antea per Sacerdotes expurgato ipso templo, Leuitæ tulerunt similem immunditiam, hoc est, vt exponit S. Hieronymus in traditionibus in hoc caput, idolorum simulachra, & aras, & supellectilem idololatricam, & asportauerunt ad torrentem Cedron foras. 2. Par. 29. 16.

Quintò. Hoc ipso tempore, credibile est eum valuas templi Domini, laminis aureis operuisse, quarum mentio fit 4. Reg. 18. 16. ut putat Salianus A. M. 3309. n. 20.

Sextò. Fuit causa hac solennitate extraordinariâ Paschatis mense secundo celebrati, quod etiam extra Ierosolymam à populo illo domum redeunte, post Pascha Ierosolymis celebratum, contracta sint simulachra idololatriæ in Urbibus Iuda, & succili luci, & destructa excelsa & altaria 2. Par. 31. 1. (in omnibus enim urbibus Iuda extruxerat Achaz aras ad cremandum thus dijs alienis, 2. Par. 28. 25.) Nec tantùm zelus iste idololatriam aboleuit in Regno Iuda (ad quod spectat Iuda & Beniamin) sed etiam in alterum regnum Israël se extendit. Nam sequitur 2. Par. 31. 1. sed & de Ephraim quoque & Manasse penitus talia euerterunt.

Septimò. Vt hæc fierent à populo, tum Ierosolymis, tum extra illam Urbem, in vitroque regno Iuda & Israël, ipse primus exemplo præluxit. Nam quàm primùm regnare cœpit, discipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit licos 4. Reg. 18. 4.

Octauò quod his omnibus maius & generosius est, calcato omni humano respectu, non metuens offensionem, & rebellionem Procerû & totius populi, nec timens ne subditi ad Assyrium deficerent, eumque regno priuarent, confregit serpentem animum quem fecerat Moyses, siquidem usque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum, 4. Reg. 18. 4. Nimirum adoratio hæc scelestâ durauit (iuxta supputationem Salianus A. M. 3309. n. 27.) per annos 727. Ab anno 40. egressio Israëlitarum ex Egypto, animosum parò, inquit Salianus n. 31. fuit hoc facinus, & plenum spe & fiducia in Deum. Nam rem humanâ prudentia estimantibus, uideri poterat, periculosum negotium. Ignarum enim ac rudem populum existimaturum, Ezechiam tam Domino ipsi, quàm Dijs gentium bellum indixisse, qui rem Dei ipsius insu à Sanctissimo Legislatore fabricatam, & tot annis à Sanctissimis Pribus, Pontificibus, Regibus, populis, Principibus conseruatis, ut Diuine erga populum suum misericordie ac beneuolentie argumentum, ipse temerè atque irreligiòse confregisset.

Sed quia ut dicitur 4. Reg. 18. 5. In Domino Deo Israël sperauit, non timuit rebellionem, sed rectè sustulit materiam publicæ offensionis, & prolapsionis in idololatriam, ex abusu rei olim bonæ ortam. Ideò ob id laudatur à S. Scripturâ 4. Reg. 18. 4. subditi in Ierusalem

Nonò. Quò autem perpetuus esset cultus Dei, Pp 4 celebra-

celebrato Paschate, turmas Sacerdotales Leuiticalque à Patre suo dissipatas, constituit in officio quamque suo, sacrificandi, ministrandi, canendi, & de suo, statuta assignauit sacrificia 2. Paral. 31. 3. & sequi. & praecepit populo (Hierosolymitano) ut darent partes Sacerdotibus & Leuitis, ut possint vacare legi Domini. Quod cum percubisset in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filij Israël frumenti, vini & olei, mellis quoque & omnium que gignit humus, decimas obtulerunt. Sed & filij Israël & Iuda, qui habitabant in vrribus Iudas, obtulerunt decimas bouum & ouium, decimasq; Sanctorum (id est sanctas) quas uouerant Domino Deo suo atque uniuersa portantes, facerent aceros plurimos. Mense tertio coeperunt iacere fundamenta, (id est inchoare aceros) & mense septimo complerunt eos, (id est à Mense Maio usque ad Nouembrem.) Cumq; ingressi fuissent Ezechias & Principes eius uiderunt aceros, & benedixerunt Domino ac populis Israël. Interrogauitq; Ezechias Sacerdotes & Leuitas, cur ita iacerent aceri: responditq; illi Azarias sacerdos primus, dicens: Ex quo coeperunt offerri primitiae in domo Domini, comedimus & saturati sumus, & remanserunt plurima, id quod benedixit Dominus populo suo: reliquiarum autem copia est ista quam cernis. Praecepit igitur Ezechias, ut prepararent horrea in domo Domini. Non ut recens constituerentur, erant quippe iam pridem à Salomone aedificata, inquit Sallianus, sed ut mundarentur. Prouidit quoque Rex ut per idoneos homines Leuitici generis omnia cōseruarentur & distribuerentur sub manibus Chronie & Semei fratris eius, atque Vicarij. Propterea enim secundum dicitur. Omnia autē fiebant ex imperio Ezechiae Regis, & Azariae (sive Neriae) Pontificis domus Dei, ad quos omnia pertinebant 2. Paral. 31. 13. Hæc de conditione & qualitate sanctimonie Ezechiae dicta sufficiant, ad cognoscendum, quomodo etiam Sanctorum magnorum parua peccata Deus seuerè puniat.

181.

Quantum ad Tertium. Primò Pōderemus nūc pōnam à Deo prænunciatam Ezechiae & infligendam post eius mortem, ob uenalem eius animi elationem. Ea sic describitur 4. Reg. 20. 14. & sequi. Venit Isaias Propheta ad regem Ezechiam, dixitq; ei: Quid dixerunt tibi, isti, aut unde uenerunt ad te? Cur ait Ezechias: De terra longinqua uenerunt ad me de Babylone. At ille respondit: Quid uiderunt in domo tua? Ait Ezechias: Omnia quaecunq; sunt in domo mea, uiderunt, nihil est quod non monstrauerim eis in thesauris meis. Syacera confessio sancti uiri. Dixit itaque Isaias Ezechiae: Audi sermonem Domini. Ecce dies uenient, & auferentur omnia, quae sunt in domo tua & quae condiderant patres tui, usque in diem hanc, in Babylone: non remanebit quicquam aiti Dominus. Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. In his uerbis duplex pœna infligitur Ezechiae. Primò. Interna, nimirum notitia pœnæ infligendæ, diuinitus per

Isaiam Prophetam prænunciata Ezechiae, quæ procul dubio animum eius magno merore affecit, duplici ex capite. Primò acerbitas multiplex & calamitas imminens posteris eius, quæ per seipsam considerata, non poterat non grauissimè torquere animum optimi Regis, & de suorum posterorum incolumitate & felicitate solliciti. Secundò hoc quoque eum afflixit magis, quia agnouit se esse causam futurarum illarum calamitatum. Quod in homine honesto & ingenio maiorem solet adferre doloris sensum, quàm ipsa calamitatum magnitudo. Hinc multi mallent occidi, quàm esse in merore. Meror enim, inquit S. Chrysostomus epist. 3. ad Olympiadem diaconissam, sanctam fecimam, mirè laudata ab eo in epistolis ad eam, cupiens eam solari mœstam, tantum ob absentiam Chrysostomi (quæ causa non erat tanti momenti, ut erant calamitates prænunciate Ezechiae, posteris eius diuinitus per hostium furorem inferendæ) Meror inquam, ut scribit S. Chrysostomus, graue animorum tormentum est, dolor omnem sermonum vim excedens, ac supplicium omni supplicio & cruciatu acerbis. Siquidem persistere uermem imitatur, non carnem dumtaxat, sed etiam animam perstringens. Ac tinea est non osium tantum, uerum etiam mentis, & perpetuus carnis ex, non latus sediens, sed animi vires labefaciens, & perpetua nox & tenebra, & tempestas, ac procella & obscura febris, quauis febre reuerentis exarens, & bellum, induciarum expers. Nam & sol & liquidus huius aeris natura, ijs qui ita affecti sunt, molestiam exhibere uidetur, atque in meridiana luce profundam noctem imitari, &c. Et multa alia copiosissimè proponit, ad explicandum acerbissimum mentis cruciatum. Cum autem idem h. 18. ad pop. dicat: Tristitia de peccato suscepta illud deleri. Cui Deus ob Ezechiae tristitiam non amouit plagam posteris eius prænunciatam, sicut ob preces eius, mortis sententiam contra eum latam reuocauit, & adhuc 15. annos uitæ addidit. Voluit ostendere quâtopere offendatur etiam uno ueniali peccato etiam à Sanctis committatur. Secundò in uerbis illis Isaiæ altera pœna externa proponitur per Isaiam, infligenda posteris Ezechiae, & quidem subsecuta longe maiori, quàm sit ab Isaiâ prænunciata. Sic enim describitur 4. Reg. 24. 11. & sequi. Venit Nabuchodonosor Rex Babylonis ad Ciritatem cum seruis suis, ut oppugnaret eam. Egressusq; est Ioachin Rex Iuda ad Regem Babylonis ipse & mater eius, & serui eius, & principes eius, & eunuchi eius, & suscepit eum Rex Babylonis anno octauo regni sui. Et protulit inter omnes thesauros domus Domini, & thesaurus domus regie, & concidit uniuersa uasa aurea que fecerat Salomon Rex Israël in templo Domini iuxta uerbum Domini. Et translulit omnem Ierosalem & uniuersos principes & omnes sortes exercitus, decem millia, in captiuitatem, & omnem artificem & clasorem, (hoc est, claudentem castra, & uallis fossisque circumgentem,

gentem, qui nunc vocantur metatores vel architecti (seu ingeniarij) nihil, relictum est, exceptis pauperibus populi terra. Sicut enim olim 1. Reg. 7. & 13. cauerant Philistaei, ne Hebraei, vltos haberent penes se fabros ferrarios, qui gladios, lanceas, aliave arma ad rebellandum cuderent; ita tunc satagebant Chaldaei, vt nullus in Iudaea maneat faber, nullus artifex, nullus architectus, qui vel mania vrbium aut arcium componere, vel arma aliave instrumenta bellica conficere possit, inquit Angelomus.

Transiit quoque Iochin (qui & Iochomias appellatur) in Babylonem, & matrem Regis, & vxorem Regis, & eunuchos eius, & iudices terra duxit in captiuitatem de Ierusalem in Babylonem. Et omnes viros robustos, septem milia, & artifices, & clusores mille, omnes viros fortes & bellatores, duxit, eos Rex Babylonis captiuos in Babylonem. Contigit hoc anno centesimo vigesimo septimo post hanc praedictionem ab Ilaia factam. Ecce effectus peccati vnius venialis a viro sancto commissi. Porro Iochin mansit in carcere Babylonico per 37. annos, vt dicitur 4. Reg. 25. 27.

Si nunc Rex aliquis cum tot alijs abduceretur in captiuitatem, & sciretur id a Deo ordinatum in poenam peccati, quis non crederet, illud peccatum fuisse valde exosum Deo, ideo cum ob peccatum veniale Ezechia id a Deo dispositum sit, credendum est valde illud Deo displicere: multo magis vero alia peccata hominum venialia, hoc Ezechia peccato grauiora.

Sanè si nulla alia poena esset, quam direptio thesaurorum Regiorum & Templi, inestimabile damnum esset, siquidem omnes thesauri & a Dauide & a Salomone, & ab alijs 18. Regibus collecti per annos 348, qui a morte Salomonis intercesserunt ad initium Regni Iochin sub quo id contigit, videntur excedere fidem humanam. Nam soli thesauri in sepulchro Davidis reconditi, fuerunt maiores omnium Regum nunc viuentium thesauris. Siquidem vt scribit Iosephus l. 7. antiq. c. 12. Cum post 1300. annos Hyrcanus Pontifex oppugnatus ab Antiocho cognomine Pio Demetrii filio, volens pecuniam ei dare, vt abducto exercitu obsidionem solueret, nec valens aliunde sumere, aperta cella monumenti Davidis, & prolata inde tribus Talentorum millibus (id est, quadraginta quatuor millionibus & quingentis quinquaginta millibus scutorum, vt computat Pineda in prauiio Salo. l. 4. cap. 2. §. 9. num. 10. ex Villapando to. 2. l. 5. d. 4. c. 6.) earum parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit. Dein de post multos annos elapsos, Herodes Rex, alia cella aperta magnam pecuniam sustulit: ad loculos tamen qui Regis cineres continebant, neuter eorum peruenit. Singulari enim arte ita erant recondita, vt ab introeuntibus monumentum, inueniri nequirent. Iam si & in hac altera cella, alterum tantum fuit repositum, sicut in prima reclusa ab Hircano, esset fere summa mille millionum: Quod si crescent proportione, qua loculi interiores sunt,

ed ditiores videntur fuisse, proinde pecuniarum vis, inquit ex Villapado Pineda loco citato, fide & cogitatione superare videtur. Fuerunt enim octo loculi interiores, vt scribit Petr. Comestor 3. Reg. 4. Cum autem nemo dubitare possit, Salomonem longe maiorem pecuniarum summam, sibi, pro suis & Regni necessitatibus ex thesauris Patris reliquisse, ad minimum duo millia millionum mortuo Patre ex eius haereditate accepit.

His millionibus si addantur thesauri collecti ab ipso Salomone per annos 40, quibus regnauit, & quidem in pace, defunt mihi verba quibus exprimam, magnitudinem thesaurorum eius.

Nam non computando alias causas opum Salomonis, sed solam navigationem & classem quam fecerat, semel per tres annos mitti solitam per mare in Tharsis & Ophir (quae erant diuersae regiones, vt ostendit Pineda l. 4. cap. 5. de Salom. 3. Regum 9. 26. & c. 10. 22. vna vice ex Ophir attulerunt inde Salomoni, sumptum aurum quadringentorum viginti talentorum. 3. Reg. 9. 26. Quae summa maior adhuc recensetur 2. Paral. 8. 17. 18. scilicet, quadringentorum quinquaginta talentorum auri. Hoc est maior, triginta talentis auri.

Sed adhuc plura numerat Iosephus l. 8. cap. 2. nempe talenta sexcenta sexaginta sex, non numerato, quod privati negotiatores mercati sunt.

Et quod mirabilis est, quod 3. Reg. 9. 26. indicatur semel tantum Salomoni allatum, multo plus ei quotannis adferri ex navigatione solitum, dicitur 3. Regum 10. 4. Erat pondus auri quod asse-rebatur Salomoni, per annos singulos, sexcenta, sexaginta sex talenta auri: praeter gemmas pretiosas. 3. Reg. 10. 11. & 2. Paral. 9. 10. Vnum autem talentum auri, inquit Pineda l. 5. c. 4. n. 35. ex computatione Hebraeorum, Hispanientium facta in eorum Biblijs Hispanicis, efficit ducatorum viginti tria milia & septingentos sexaginta.

Si vero talentum sit argenti, efficit mille septingentos quadraginta quinque ducatos, plus minuse.

Ideo mirum non est, scriptum esse 2. Paral. 9. 20. Argentum in diebus illis, (scilicet Salomonis) pro nihilo reputabatur: siquidem naues Regis ibant in Tharsis.

Præterea de solius Ezechiae thesauro, dicitur 2. Paral. 32. 27. & seq. Fuit autem Ezechias diues & inclitus valde, & thesauros sibi plurimos congregauit argenti & auri, & lapidis pretiosi, aromatatum, & armorum vniuersi generis, & vasorum magni pretij. Apothecasq; frumenti, vini, & olei, & praesepia omnium iumentorum, caulasq; pecorum, & Vrbes edificauit sibi: habebat quippe greges ouium & armentorum innumerabiles: eo quod uedisset ei Dominus substantiam multam nimis.

His si addantur thesauri ab 18. Regibus Salomonis successoribus per annos 348, collecti, quamuis aliqui in altera Vrbe expugnatione rapiti

rapti sint, non omnes tamen esse abreptos patet ex c. 1. Esdræ, & ex c. 27. 18. & seq. Ieremias.

Consideremus nunc quàm exosus esset ille miles nobis, si sciremus ob eius peccata omnes ditiones Cæsaris, & aedēs Sacras esse ab hostibus spoliatas, & ipsum cum filiis (quod auertat Deus) abductum in captiuitatem, & cum omnibus Principibus Imperij. Cum id ob peccatū veniale Ezechia factum legimus, debemus vehementissimè quoduis peccatum veniale detestari, & ob nostra timere, ne ob illa Deus, has regiones puniat tot calamitatibus sterilitatum & bellorum, præsertim cum non simus tam Deo cari, vti fuit Ezechias, adeo sanctus, & adeo potens apud Deum. Sanctus quidem quia aulus est Deo dum agrotaret dicere 4. Regum 20. 3. *Obsecro Domine memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placuit est coram te fecerim.* Quæ verba repetuntur Isaiæ 38. 3. 4. Potens verò apud Deum quantopere fuerit, patet, quia monitus de morte proximâ Dei nomine ab Isaiâ, vnica prece ad Deum fusâ id effecit, vt & Deus suum decretum mutarit, & adhuc 15. annos vitæ ei addiderit, & miraculo nunquàm alias audito & viso, hos 15. vitæ annos ei esse additos, confirmarit, & quidem tali miraculo, quod optine sibi ab Isaiâ datâ, ipse elegit 4. Reg. 20. 8. 10. *Vt solis substantia* (non sola eius vmbra) *in horologio solari per decem lineas, indicantes horas decem retrocesserit motu reali, agniti vbiq; terrarum.* Ita vt cum dies hebraeis in 12. horas distributus esset, cum hoc miraculum cæptum est fieri, iam sol decem lineas procurrerat, totidemque horas confecerat: sed is Deo iubente pari motu regressus versus ortum, decem horas expleuit, & rediens ad punctum, vnde regredi cæperat, alias rursus decem horas confecit, id est omnino 30. horas: quibus si duæ quæ residuæ erant, adiungantur, fient 32, qui sunt fere 3. dies artificiosi. Ita Saliannus A. 3322. idque euidenter ostendit ex S. Scripturâ Isai 38. 8. & ex 70. edit. & Ecclesiastici 48. 26. & ex PP. Cum ergo non simus tam coram Deo sancti, & tam potentes vti erat Ezechias, vitemus toto conatu peccata venialia, quæ vidimus fuisse causam tam magnarum calamitatum, & timeamus ne ob peccata venialia commissa à nobis, grauius, & nos, & alij puniantur. Ideoque Diuinam Maiestatem placemus nostris peccatis offensam, & noua non addamus. Quod quidem omnibus cordi esse debet, sed magis personis in statu vel dignitate aliqua spiritali & Ecclesiastica constitutis. Nam vt scripsit S. Isidorus Pelusiota l. 3. ep. 15. *Graue est eum qui inter subditos censetur, peccare: grauius autem eum qui diuino cultui consecratus est: longe verò grauisimum, eum, qui Pontificis dignitatem nactus sit. Quanto enim honoribus alios antecellunt, tanto quoque ipsorum peccatum, etiam si aliqui idem sit, grauius efficitur, quippe quod*

non ad naturam, sed ad eius qui illud perpetravit dignitatem perpendatur. Quid autem magistrum & Antistitem cum subito comparos cum Legislatore (Deus, vel Moyses) Pontificis peccatum, totius populi peccato par esse dixerit, tantumq; ab ipso Sacrificium læge latâ exegerit, quantum si plebs vniuersa deliquisset, offerri præcepit. (Leuit. 4. 4.) Quod si æquale ac parvulus non esset, haud parum certe medicinam minime constituisset. Hinc S. Augustinus in Psalm. 39. *Non mediocris virtus Sacerdotalis est, cui cauendum, non solum ne grauioribus flagitijs sit affinis, sed ne minimis quidem. Præsertim si ultra statum Sacerdotalem etiam religiosus accedat pluribus votorum vinculis commendatus & ad maiorem perfectionem quærendam, quam simplex Sacerdos, sit obligatus.* Ideo S. Cæsarius h. 18. *Si Laicus homo & in seculo constitutus, superbiam habet, peccatum est: Monachus, verò si habuerit, sacrilegium est.* Non quidem propriè dictum sacrilegium hic voluit intelligi, sed hoc tantum significare voluit, quod S. Thomas docet 2. 2. q. 100. art. 2. ad 7. *Peccatum tantò in aliqua persona est grauius, quanto maiorem obtinet locum.* Nec tantum grauius, sed etiam turpius in religiosa persona. Nam vt ait S. Bernardus l. de triplici custodia: *Quò nitidiores manus, eò grauius quoque minor in eis nauis offendit: & sicut pretiosam vestem exigua quæuis macula turpius decolorat. Nobis (id est religiosis; quorum erat Abbas) ad immunditiam, minima quælibet inobedientia sufficit: nec iam nauis est, sed grauis macula, sin actionibus nostris, vel minorum resideat negligentia mandatorum.* Hac proportionè dixit S. Gregorius Nazianzenus eam. 3. ad Virgin. n. 19.

Turpius ira malum, grauiusq; in Virgine crimen, Quàm furor in reliquis.

Quod vt religiosi meliùs apprehendant, præsertim tirones & in Theologicis scholis nòdum exculti, adferam plura hæc de re diligenter consideranda, quippe à magnis Sanctis & doctissimis tradita. S. Thomas 2. 2. q. 186. a. 10. quærit, vtrum religiosus peccans eodem genere peccati, grauius peccet quàm secularis? respondet, *si religiosus ex infirmitate vel ignorantia committat aliquod peccatum absq; scandalo* (parum occulto) *quod non sit contra votum suæ professionis, eum leuius peccare eodem genere peccati quàm peccet secularis, sed grauius illum peccare, quàm hunc si peccet ex contemptu: quia ex hoc videtur esse magis ingratus diuinis beneficijs quibus est sublimatus ad statum perfectionis.* Quo loco non loquitur S. Thomas de contemptu formali, qui vt docent cum eo Theologi, etiam natura sua leue peccatum & veniale, facit mortale, sed de materiali contemptu qui reperitur vti & ingratitude in omni peccato etiam veniali deliberatè parato. Cui enim quilibet religiosus & persona in Clericali statu constituta, maiorem habeat Dei & rerum diuinarum cognitionem, maiora beneficia à Deo perceperit & euecta sit ad altiore[m] statu[m] magis

magis est ingrata, dum deliberatè suum Dominum & benefactorem offendit, contemnendo veniales lapsus tanquam facilè expiabiles per partium dolorem, per aquæ benedictæ & aliorum Sacramentalium usum. Quocirca merito S. Chrysostomus h. 77. ad pop. dicit: Non omnia similiter in omnibus iudicantur, ait enim (Sap. 6.) Potentes potenter tormenta patienter. Et: Qui scit voluntatem Domini sui, & non facit, plagæ vapulabit multæ. Itaque maior scientia maioris sit pœna materia. Propterea Sacerdos eadem cum subditis peccata committens, non eadem, sed multò grauiora patitur. Et Author imperfecti in Matthæum h. 4. descripta à Gratiano inter Decreta. c. Homo Christianus d. 40. Homo Christianus fortiter cadit in peccato propter duas causas: aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis. ut puta si sit Clericus, aut continens vidua, aut monachus, aut Virgo, id est qui se Deo tradidit. Et S. Bernardus s. cont. vitium ingratitud. in fine. Tandem, inquit, nunc facilius offendimus Deum, quando ea grauius (quàm initio conversionis nostræ) que à nobis committuntur, iudicanda nouerimus esse: cum in Psalmo (54.) legamus, quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vitæ. Et B. Laurentius Iulianianus, de cõpunct. & complanctu Christiana. perfect. col. 18. ponderans illud Apostoli, vbi abundauit gratia, superabundauit delictum: Nam quò gratia, inquit, cumulator & status sublimior, eo casus est grauior, & damnabilior culpa. Qua verò excellitior est dignitas quàm diuino mancipatum esse obsequio, & Sacramentorum Christi esse ministrum: istis, ob vocationis privilegium, quæ secularibus leuia sunt, grauius depurantur.

187. Ex hoc principio S. Thomas 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2. infert: si quis post acceptam gratiam Noui Testamenti peccauerit, maiori pœna est dignus, tanquam maioribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non vtiens. Et 1. 2. q. 98. a. 1. ad 2. docet peccatum post legem à Moysè promulgatam, ceteris paribus fuisse grauius & abundantius. Tum quia grauius fuit peccatum post legem prohibitionem, tum etiam quia concupiscentia creuit magis enim concupiscentius, quod nobis prohibetur. Et 2. 2. q. 10. a. 3. ad 3. Si adulterium committatur à fideli & ab infideli, ceteris paribus, grauius peccat fidelis quàm infidelis tum propter notitiam veritatis ex fide: tum etiam propter Sacramenta fidei quibus est imbutus; quibus peccando, contumeliam fecit. Et 2. 2. q. 184. a. 8. Grauius, inquit, peccat ceteris paribus, Clericus in sacris Ordinibus constitutus, si aliquid contrarium castitati agat, quàm aliquis religiosus quoniam non habet Ordinem sacrum: quàmuis Laicus religiosus teneatur ad obseruantias regulares, ad quas illi qui sunt in sacris Ordinibus non tenentur.

188. Dices, videtur esse peior conditio sanctorum quàm scelestorum, siquidem illos ob sola venialia a deo punit in hac vita, hos verò ob multa mortalia ratò punit in hac vita, sed prosperat in multis.

Respondeo, immò verò melior est conditio in-

storum dum hic puniuntur, quia per pœnas à Deo immixtas vel permissas satisfaciunt pro peccatis, ne in altera vita acerbius puniantur, vt docet Concilium Tridentinum sess. 14. can. 13. At non potuendo in hac vita scelestos ad maiores eos pœnas & quidæ æternas referuat. Quod si ante mortem reconcilientur Deo, multò grauiores in purgatorio sustinebunt pœnas pro culpis peccatorum ante mortem dimissis. Siquidem vt inter alios sanctos alibi à me citatos docet S. Augustinus in Plal. 37. Contemnitur ille ignis (purgatorij) sed grauior erit, quàm quicquid homo pati potest in hac vita. Magnum ergo beneficium est, hic pati quamplurima, minora & leuiora, ne in purgatorio patiamur maiora & grauiora: præsertim, cum vt Bellarminus scripsit: Vix vlli iusti homines, nisi ex magna misericordia Dei, pœnam purgatorij aterbissimam euadant, ita, vt rectè ex corde ad cœlum euolent.

in Opusc. de Medit. rectè perag. cap. 10. l. de amiss. grat. c. 13. s. u.

CAPVT DECIMVM.

Alia peccata venialia grauisimè à Deo punita, in hac vita, eorum grauitatem ostendunt.

EXemplum primùm habemus Gen. 9. 21. 22. 189. in Cham filio Noè, qui (vt scribunt aliqui docti Scriptores & celebres) etiam solum peccatum veniale commiserit irrisionis repentinæ & subitanæ quasi in primo motu, dum vidit Patrem ebrium nudatum, & visis eius verendis, ac fratribus hoc ipsum indicauit. Propter hanc rē horrendam illam Patris maledictionis sententiam incurrit, à Deo infelicibus posterorum eius successibus comprobata, vt obseruauit S. Ambrosius & Theodoretus.

Hoc eius peccatum S. Ephræm ait, non fuisse grande peccatum, sed leuem irrisionem. Quale peccatum fuerit, non scio, nec quicquam hac de re assero. Sed, si non grande, verum leue peccatum fuit, vt putat S. Ephræm & alij docti viri: Hinc infero, quò magis grauiora peccata, etiam sola venialia, per impudicum aspectum rerum vel actionum turpium & obscenarum deliberatè, præsertim longiusculè commissa Diuinam Maiestatem illa spectantem offendunt, & Dei maledictionem merentur.

Secundum exemplum, habemus in vxore Lot quæ cum Genes. 19. deducuntibus Angelis excessisset ex Sodoma, & audito strepitu ignis & clamore pereuntium, partim ex timore, ne & ipsam flamma corripere, partim ex curiositate & dolore rerum suarum amissarum in illa nefanda ciuitate, putans esse rem leuem respicere retro (non enim tunc sciebat Angelos id vetuisse Dei nomine, quia respexit retrò, conuersa est in statuam salis.)

Hanc curiositatem, & per se consideratam, &